Gorscius Jacobus
Theol. et Juriscons.

Simonidis Simonis: Naenia funebris de morte Jacobi Gorscii.

Crac. typ. Andr. Petricov. 1586.

NAENIA FV NEBRIS:

AD STANISLAVM SOCOLOVIVM, THEOLOGVM REGIVM.

DE

Morte IACOBI GORSCII, Theologi & Iureconsulti.

Simonis Simonidis Leopolien.

CRACOVIÆ,

Typis Andreæ Petricouij. Anno Domini,

M. D. L X X X V I.

Doctor Jacobus Gorscius mortuus est Anno Domini 1585. post Nativitate!

NAENIA FV-
NĒBRIS:
AD STANISLAVM SOCOLOVIVM, THEOLOGVM REGIVM.

De Morte IACOBI GORSCII, *Theologi & Iureconſulti.*

STROP: I.

VEllem (niſi nefas foret,
Lingua mea prophana,
Verbum concipere entheum)
Conceſſam mihi, mortis
Illam, ſepulchrorumq; vim
Victricem; quâ olim cæleſtum dia virorum
Pectora pollebant,
Quâq; ipſe Dux Sacer, Proles Dei
Excelluit: quandò veteris memor
Hoſpicij, Bethanes
Regem amicum, ad ætheris
Rurſum oras reuocauit:

ANTISTRO: I.

QVem terra, quartum iam diem
Pridem tenebat, æſcam

 Tabi,

Tabi, & pabula vermium.
Rectà ad te SOCOLOVI,
O ſidus vnicum meum,
Irem; & partito tecum mærore; quem habes nunc
Funere defuncti,
Ex GORSCII; manu te ducerem
Ad puluerem; qui caſſa viri illius
Oſſa tegit; precibus—
—Qúe ambo, ibi, atq; luctibus
Iunctis; feruidam Olympo

EPOD: I.

VIM moliremur;
Cælitum ſi fortè Pater miſertus,
Illam grandem animam, illud igneum oris
Fulmen redderet, & tibi
Remitteret laborum
Socium, participemq;
Dulcem, cor lacerántum
Curarum; Oceano quæ velut in
Magno, perhorreſcentibus
Aquilonibus, irritati
Fluctus, animos pulſant
Nec faciunt pauſam aſiliendo.

STROP: II.

SIC, ſcilicet mortalium
Diuinitus parata

Sorte;

Sorte; vt cuiq; molestias
Sit sentire necesse;
Plusne his, vel illis, parte vel
Cunctis ex æqua; haut cuiquam percurrere prom-
Id meritò forsan (ptum:
Pronuntiarim; longè maximam
Molem, maligni ponderis, inditam
Talibus his animis;
Qualis aut tu es, aut tui
Quisquis se similem vult.

ANTIS: II.

QVI ex edita turri velut,
Mortalium has inertes
Vitas, & studia aspera,
Acri introspicientes
Visu; nec expertes quoq;
Ipsi damnorum; Hebræi vocem Sapientis
Concipere audetis;
O Vanitas, vanissima omnium
O Vanitas rerum: Intereà ignea
Mens; Lea ceu rabida,
Carcerem, clatrosq; pror—
—Sum indignata; perenni

EPO: II.

NIsu, illas sedes,
E quibus se se meminit profectam,

Suſpirat; volucriq; ſæpe penna
Contemplandi, auidam ſecat
Viam, ad domos Deûm; atq;
Liquidam veſcitur illic
Diuini dapem amoris;
Non id ritè quidem, nec penitus
Diu; retrò namq; illicò
Reuocat vetus hoſpes; ſtricto
Aegram retrahens vinclo;
Iusq; ſuum fædusq; repoſcens.

STRO: III.

STat quippe limes, metaq;,
Quam tranſilire non fas;
Atq; arctè vetitum; obycem hunc
Ne quiſquam ante refringat;
Quàm ſummus ipſe Carceris
Præſes, laxatis iubeat prodire catenis.
Ergò, animi quamuis
Non læta; clauſtrum viſit hoc tamen,
Hæretque, cura ſaucia duplici;
Nempe ſiti fruitæ,
Sedis aureæ, volup—
—Tatisq; irrequietæ.

ANTIS: III.

VErnaculorum & hîc dein
Senſu malorum amaro.

Tùm

Tùm faſtidia talia
Inter; non aliter, ceu
Quàm febris ardens quem coquit,
Huc, illuc, corpus per lectiſternia mutat,
Morbi abitum quærens;
Fruſtrà; perita enim niſi manus,
Cum poculorum apta arte ſalubrium,
Subueniat Medici;
Nil remittit ignium
Peſtis; ſed ſolitùm vrit.

EPO: III.

SIC mens, ingrato
Terrearum ægrota calore rerum;
Non lætis vicibus, modò hanc, modò illam,
Sectatur requiem, inquies:
Labore inani; Enim adſit
Niſi amici (vnica, cordis
Aegri, quæ eſt medicina)
Iucundum officium, & conſilium,
Curisq; mutuum, fides
Paribus, ſine noxa feruens;
Fruſtrà latus huc illuc
Traijcias, quæraſue leuari.

STRO: IV.

O Charitas, ô charitas,
Quæ coniugare forti

Nodo

Nodo, fida virûm ſoles
Corda, & fundere amorem
Dulcem, in voluntates pares:
Quas non contingat liuens atræ inuidiæ fel;
Nec penetrent rixæ,
Iras vehentes; alma ſanctitas
Sed morum, & vltrò ſe retinens timor
Libero in obſequio
Fulciat; Dei haut ſine
Cuncta ornante timore.

ANTIS: IV.

NVllis ego te conferam
Sub Sole rebus: olim
Eſſet quanta potentia
In te; ſat docuiſti:
Duo illa quandò ſidera,
Has infælices luſtrabant lumine terras.
Cæſariæ PRAESVL
Et NAZIANZI: par ſodalium
Pulcherrimum; ſeu ponere non bonos,
In loca ſola procul,
Lubricæ iuuentiæ,
Mores, accelerarent,

EPOD: IV.

SEu puri, & iam iam
Inclytis cœli ſimiles alumnis,

Vitæ,

Vitæ, atq; eloquij, iubar salubre,
Mari in tumultuoso hoc,
Hominum ostendere sæclis,
Instarent; geminum ambo
Ipsi præsidium, & mutua fax
Sibique, alijsq; : Siue enim
Vitiosam, animo non puro,
Labem, exuere aggressus,
Te reuoces frugem ad meliorem:

STRO: V.

MAgnum interest; sis solus, an
Nactus virum fidelem;
Qui tecum quasi brachio
Iuncto, ex sorde resurgat.
(Nam sæpe pænitentia,
Multos, ipsa, ad terram prostratos, mage pressit)
Seu vacuus labis,
Prauumq; morem terga post habens,
Patranda victor mente agites bona;
Sæpius ipse sibi
Ardor anxius, moras
Conflauit dubitando.

ANTIS: V.

INcertus an rectam viam
Insisteret, bonorum
In cœco agmine: quò loci,

Cordati viri amicum
Verbum; haut minoris gratiæ est:
Quàm olim vicinos nixus instare propinqui
Dum admonet, hora anceps
Puerperi; obstetricis. admodum
Magnò æstimatur, dextera strenuæ:
Hoc quasi nos superis
Admonentibus palàm,
Vnum, nullum hominem esse.

E P O: V.

ILLis ambobus
Defuit quod nusquam, in idem còáctis.
Nam quercus geminæ velut,patenti in
Prato, quæ sociare amant
Virens decus; soloq́;
Sibi, radicibus hærent
Iunctis; sollicitæ nil
Ventorum minitantum, aut creperæ
Discordiæ moti poli:
Ita robora bina hærebant
Illi, strepitus omnes
Contrà, animis & viribus æqui.

S T R O: V I.

NEq; id tamen diu; vt nihil
Mortalibus perenne est:
Spectatum siquidem volens,

Vis

Vis magna altitonantis
Te Gregori; esses qui in tua
Seiunctus virtute; ecce illum te alterum, ademit
Ante tibi; vitæ
Quam tu appulisses vltimam orbitam.
Quid Die Diuûm? quid tibi pectoris
Quidue fuisse rear
Tum anxitudinis? quibus
Vndabas lachrimarum

ANTIS: VI.

DEcursibus? quùm cerneres,
Tristi abditum, pheretro,
Illum, dimidium tui;
Testantur manifestò
Dicta aurea; ictu maximo
Mæroris, quæ tu percussus, ceu silice alto
Eiaculans se se
Fons largus, effudisti; & vberem
Professus ad nos vsq; dolentiam es.
Immemor ante mei
Sim ipse; cor tuum pium
Quàm nolim meminisse.

EPOD: VI.

NÎ fors, de vobis
Parciter duco mihi proloquendum;
Purum à sordido enim nefas apisci est.

Qualem ſentio me miſer.
Fleoq; abominorq; ;
Pietatis tamen hoc ſit
Veſtræ ; ſi pietatem
Huic non abſimilem, temporibus
Pango meis; veſtra bona
Venia; SOCOLOVIUS quandò
Qui Relligionis nunc
Magnus apex, & magna columa

STRO: VII.

STat, GORSCIUM amiſit ſuum
Magnam alteram columnam.
Qui rupes geminæ velut
Stabant, horrida contrà
Tumultuantum turbina;
Inſana ſanctam arcem pulſantum obſidione,
Fanaque, ſacrosq;
Cultus, ruentum peſſum; & eloquar
Fidentius; clarum abdere veritas
Iudicium prohibet;
Innocentia neq;
Vitæ; alto neq; cordis

ANTIS: VII.

VIgore; & ardore in Deum;
Feruore nec ſciendi
Multa; aut diuite copia

Fandi;

Fandi ; vlli inferiores.
Sed hæc erant: At tu interim
Aequalem luctus ſortem nactus SOCOLOVI es,
Ad ſuperos rapto
Ex GORSCIO, alter NAZIANZENVS;
Hîc verba, triſtem fortè leuantia
Morbum, animi impliciti;
Ore libero meo,
Manatura putabis?

EPO: VII.

FRuſtrà; quipe haut ſum
Tam impudens; ſcire hactenus vt diſertè
Nolim; lucifugam neq; alitem, alas
Suſtentare Aquilæ impigræ
Solere; nec meam imam
Operam, artemq; Camenæ ex—
—Ilem, poſſe tuæ illi
Menti magnanimæ, atq; altiuolæ,
Solatio ſuccurrere;
Satis eſt mihi, ſi vos laude, &
Fidi ſtudio affectus
Proſequor; & veſtigia quondam

STRO: IIX.

(NIſi hoc quoq; arrogans nimis
Votum ſit) apprehendo.
Et quamuis alia impotens

Sum fortè, atq; animi arcti;
Nunquam tamen, magis meam
Mentem, laudum externarum admiratio ducet,
Quàm indigenarum: Istam
Vanam, & nefandam pestem enim scio,
Turbasse vitam; & plurima iamdiu
Splendida regna, solo
Resq; publicas Sacras
Vertisse; in sua ciues

ANTIS: IIX.

DVM sunt iniqui, atq; extera
Sectantur insolenter:
Ergò GORSCIVS, aurea
Inter sidera pridem
Fulget; piorum augens chorum;
Nostræ non temnendæ altricis Sarmatiæ flos
Conspicuus; qualem
Olim alterum illîc, Maximum HOSIVM
Habemus; isthîc tertius vsq;dùm
Tu reliquus SOCOLO-
-VI, super manes; diu
Sospes sis vtinam; nec

EPOD: IIX.

NOS prorsus Diuûm
Ira supremo spoliet decore;
Tristem nam video vrbium ruinam;

Vir

Vir quondam è quibus integer
Iubetur egredi; quò
Grauius, liberiusq́;
Cœlo ſcilicet actus
Imber ſulphureus, perplueret
Sceleſta tecta; Sed mala
Procul effuge, Muſa infœlix,
Diro omine venari;
Fauſta mage & ſincera precemur.

IESV CHRISTO Laus & Gratia.